

emittit, ac præ nimio calore statim semen spargit extra vas, aut ex indebita mēbri figura, aut debilitate, non potest intra vas feminare, nec his morbis aliqua medica arte succurri potest. Quia verè hic est impotens ad copulam conjugalem: ac proinde in eo militat ratio, nu. 2. tradita. Quamuis Henriquez lib. 12. de matrim. c. 7. nu. 4. dicat in his casibus saltem iure Ecclesiastico dirimi matrimonium, si femina eam impotentiam ignoret: vbi videtur cētere nō dirimi iure naturæ. Sed profectō ratio adducta probat iurē naturæ dirimi. Quod verissimum reputo, nec quicquam refert ad eius valorem, non latuisse feminam eam viri impotentiam, vt probauit disp. 92. n. 12.

7 Tertiō deducitur, similiter dirimi iure naturæ matrimonium per impotentiam perpetuam, quæ non est absoluta respectu omnium, sed tantū respectiua ad aliquā personam: nam cum illa persona ad quam est, nequit iure naturæ consistere matrimonium. Quia ita impedit posse tradi potestatem corporis ad copulam illi personæ, si cum impotentia absoluta respectu omnium. Quare respectu illius personæ, ad quā est talis impotentia, non potest essentia matrimonij saluari: ac proinde cum illa erit iure naturæ irritum.

8 Quarrō deducitur, non esse approbandum quod tradit Henriquez lib. 12. de matrim. c. 8. n. 2. de impotentia ex maleficio cō surgente, vbi sic distinguit. Si maleficio perpetuō impediatur respectu omnium, reddit iure naturæ incapax matrimonij maleficia tum: si verō tantū sit respectu vnius personæ, reddit saltem iure Ecclesiastico incapax respectu illius. At ego in vtroque casu dirimi iure naturæ matrimonium cenfeo: in priori quidem, respectu omnium: in posteriori autē, respectu illius ad quam est impotentia illa perpetua ex maleficio con surgens. Et ad hoc sentiendum adducor ob rationem. n. præcedenti traditā. Quod censuit Martinus de Ledesma. 2. part. 4. q.

60. ar. 2. paulō post principium, dicens absolute per impotentiam perpetuam maleficio dirimi iure diuino naturali matrimonium.

9 Vltimō infertur, etiam inter infideles esse matrimonium irritum, ob impotentiam ad copulam conjugalem impedimentum. Constat ex dictis: cum hoc impedimentū ex ipso iuræ naturæ etiam infideles liganti proficiatur. Et ita docet Rubion. 4. d. 39. q. 1. ar. 1. conclus. 1.

10 Ad argumenta. n. 1. proposita respondeatur. Ad primū dic nō in omnibus equiparari, sed quoad effectū matrimonij dirimēdi. Ad confirmatiōem dic negandā esse maiorē. Diuersa enim est ratio: quæ perpetuam impotentiam repugnet ex ipsa rei natura, obligatio ad copulā conjugale, ex matrimonij cōtractu pullulans: secus de impotentia tēporali. Qui enim nūc soluendo non est, potest obligari ad soluendū in futurū, quando speratur fore, vt facultates suppetant: cuius obligationis incapax est, qui nunquā soluendo foret, vt si rē impossibilem promitteret: vt montē aureū. Ad secundū dic disparē esse rationem. Quia vbi est impotentia, repugnat traditio potestatis corporis ad copulā, vt potē rei impossibilis: at vbi solū obstat votū simplex, cum vterque coniux sui corporis Dominus maneat, ac vsus eius, potest validē potestati illius tradere. Quod ad matrimonij essentia sufficit: quantum vsus aliunde sit illicitus. Adde falsum esse, ligatū simpliciter religionis voto non teneri debitū reddere, si matrimonium ineat. Nā ex lege matrimonij tenetur, nisi ad religionē transeat, vel quia transire non vult, vel quia non admittitur. Et licet votum minimē emisisset, non teneretur reddere debitum, si ante consummationem eligeret transire ad religionem. Quia factis est ad matrimonij essentiam, vt ex vi ipsius obligatio oritur, non electio status perfectiori religionis, qui vim habet ipsius dirimendi.

## DISPUTAT. NONAGE SIMANONA.

An matrimonium ratione impotentie naturalis, aut maleficij alterutrius coniugis dissolutū sit restaurandū, quando cōiux impotens ad alias nuptias transijt, aut fornicatus est, & quoties restaurandū sit: & quid, si vir sit iam professus, aut sacris ordinibus initiatus?

SVM-

### SVMMARIVM.

11 **Q**uot quæstiones disputande sunt. num. 1. **Q**uare cautela debent iudices discutere causas ex quibus impotentia oritur, ad iudicium ferendum. num. 2.

12 **Propositus** textus cap. laudabilem, de frigiditate, in quo stat dissolutus, & proponuntur aliquot contra eum. num. 3.

13 **Posterius** matrimonium à frigiditate initum absque eius consummatione, non arguit deceptionē in sententia, qua prius dissolutum est, sed quando est consummatum. num. 4.

14 **Eandem** deceptionem arguit, quando vir ille frigidus cum alia fornicatus. num. 5.

15 **Separatus à** matrimonio ratione frigiditatis, si alius ineat, statim absque alia probatione dissoluitur. num. 6.

16 **Vi restat** prius frigiditate matrimonium, probanda est posterioris consummatio, aut alia frigiditatis fornicatio. num. 7.

17 **Quid efficere** debeat iudex, cum inuenit frigidum ad alias nuptias transiisse. num. 8.

18 **An si mulier** ab eo frigiditate separata, alij nupsierit, sit statim ac frigidus secundum iugum matrimonium, separanda à posteriori viro? num. 9.

19 **An mulier** illa possit petere, ac reddere debitum, dum illa discutitur. num. 10.

20 **An si mulier** illa non tunc nupsierit, sit ei permittendum nubere: & si contra iudicis præceptum nupsierit, sit separanda. num. 11.

21 **An in foro** conscientie sint illi femine permittenda nuptia, & si ad illas transeat, possit petere, ac reddere. num. 12.

22 **Qualis probatio** plena possit haberi consummationis matrimonij, aut copulae fornicariæ, vt prius matrimonium dissolutum posteriori instaurandum sit. num. 13.

23 **Soluntur** argumenta. num. 14.

24 **Post** num. 14. inuenies alia summaria.

25 **Q**uod tripliciter potest matrimonium ratione impotentie dissolui. Primò, ratione frigiditatis viri, ad quam reducitur omnis impotentia eius absoluta naturalis, vnde cumque proveniat. Secundò, ratione arctitudinis feminae, quia, nempe, ita arcta est, vt à nemine cognosci valeat, vel saltem ab illo, cui nupsierat. Tertiò, ratione maleficij alterutrius coniugis. Quarrò, in genere ratione impotentie, nō allegata eius causa. De his ergo modis seorsum differendū est, & ideo sex sunt quæstiones instituenda. Prima, quando soluitur matrimonium ratione frigiditatis viri. Secūda,

quando ratione arctitudinis feminae, aut absolute, aut respectu huius. Tertia, quado ratione maleficij. Quarta, quado in genere allegata est impotentia. Quinta, quoties femina separata à priori matrimonio, sit illi restitueda, si adhuc ab eo viro cognosci nequeat: Vltima, quado dicendum sit, quando vir sic separatus, iam ad religionem, ordinemve sacros tranierat?

26 **Quæstio prima.** An matrimonium ratione frigiditatis viri separatum, sit instaurandū, si postmodum vir ille frigidus ad alias nuptias transeat: aut fornicationem admittat? Præmittendum est, quanta debeat diligentia iudex discutere, an impotentia proveniat ex frigiditate viri, arctitudine feminae, an ex maleficio, ne pernitiosè erret dissolvens matrimonium validum: aut restaurans quod irritum erat. Cum diuersimodè iudicium ferendum sit iuxta diuersitatem harum impotentiarum. Vt constabit ex dicendis tota hac disputatione.

27 **Verfatur** autem difficultas huius quæstionis, circa intellectum cap. 1. & cap. laudabilem, de frigiditate, & maleficio, & cap. 1. 33. quæst. 1. quod desumptum est ex Gregorio Papa ad Venerium Caralitanum Episcopum. Et cap. 2. ibidem, quod est ex epistola eiusdem Gregorij, in quibus textibus decernitur, dissolutum matrimonium ratione frigiditatis viri, instaurandum esse, si postea contingat frigidum illum ad alias nuptias transire. Contra quorum textuum decisionem valde vrget, quod ex posteriori matrimonio insufficienter præsumere videatur Ecclesia, virum illum minimè esse frigidum, atque adeò priori vxori restituum: inde enim non præsumitur copula, quæ viro frigidus est impossibilis. Et quantum posterior vxor cōcipiat, aut ex aspectu appareat corrupta, fortior est præsumptio pro sententia lata de prioris matrimonij dissolutione: cum ad eam ferendam præcesserint triennij experientia, iuramenta ipsorum coniugum, ac septimæ manus propin quorum, atque vtriusque, coniugis aspectus. Quæ omnia ad illius dissolutionem desiderabantur. Et cōfirmatur, quia potius videtur Pontifices debuisse decernere, posterius matrimonium dissoluum esse, nec prius instaurandum. Quod sit præsumptio iuris, & de iure, ex sententia lata manans, pro viri frigiditate: atque subinde pro vtriusque matrimonij nullitate. Secūdo, quia omnes fatentur solum matrimonium contractum nō inducere præsumptionē cōtra

Vv viri

virī frigiditatem priori sententia declarata: sed si posterius matrimonium ille consummeret: atq; idem fatentur, si fornicariē quācumq; feminam cognoscat. Quia copula repugnat frigiditati. Ac non videtur posse in praxim deduci, vt ita certō constet, vt præponderet priori sententiæ torprobationibus munita. Quippe reperiri solum cum sola, ac in eodem lecto nudos, clausisq; ianuis, ex quibus copula præsumitur, ac probatur, iuxta cap. literis, de præsumption. non sufficienter probat copulam in hoc euentu. Quōd obstat præsumptio frigiditatis viri, comprobata, ac per sententiam declarata: si quidem ea præsumptio eliditur per res leuiores, vt ratione proximitatis: & coniunctionis sanguinis. Vt probat Mascardus de probat. conclusionē 3. 12. num. 7. At multo vehementior est ad elidendam eam coitus præsumptionem, præsumptio frigiditatis viri præcedens. Nam viro frigido est impossibilis copula per naturam, confanguineis verō minime. Cum ergo copula nunquam oculis pateat, sed secreto in loco habeatur, ac ex solis præsumptionibus probanda sit: & nulla appareat tam vrgens, vt priorem frigiditatis vincat, videtur frustranea horum textuum decisio, ac impossibilis vt in praxim deducatur. Tertio, quia cōtingere potest, vt femina illa à frigido separata, alij nupserit: & tunc iniustum videtur, posteriores hos coniuges bona fide, & Ecclesiæ auctoritate coniunctos, possessione sua spoliare, in fauorem prioris matrimonij: aduersus quod est præsumptio ex priori sententia dissolutionis orta. Tandem, quia possit vir ille probare, se non omnino frigidum, & impotentem, sed respectu prioris vxoris esse.

4 Tota huius quæstionis difficultas eō pertinet, vt cognoscatur qualiter probanda sit copula viri ratione frigiditatis separati, cum posteriori vxore, vel fornicaria cum quacumq; vt probatio hæc vincat præsumptionem frigiditatis per sententiam declarata, vt vel sic restitueretur prius matrimonium. Quippe constat solum posterius matrimonium non esse sufficiens indicium deceptionis Ecclesiæ in priori sententia dissolvente matrimonium ratione frigiditatis. Nam id contrahere non arguit contrahentem esse potentem. Præterea, quia est præsumptio pro sententia, qua vir ille frigidus declaratus est, & ob id prius matrimonium dissolutum. Quare dum textus

num. præcedenti relati ponderant posterius matrimonium à frigido contractum, vt restitueretur prius, intelligendi sunt, si constet posterius cōsummatum esse. Quia ex posterioris consummatione constat clare virum illum non fuisse frigidum, ac proinde Ecclesiā deceptam esse. Atq; ita docent ex Iurisperitis, Hostiensis summa tit. de frigid. & malefic. §. qualiter & quando num. 10. vers. & si quidem. Et cap. 1. num. 1. verb. acceperis, de frigid. & malef. Ioānes Andr. cap. laudabilem num. 3. eodem tit. & ibi Anton. ad finē. Alexander de Neuo num. 4. Præpositus num. 2. notabili 3. Albericus in suo dictionario, littera D. verb. diuortium, paulo post principium. Ioannes de Triburgo in summa confessorum, lib. 4. tit. 16. quæst. 16. Astenfis 2. par. sum. lib. 8. tit. 37. art. 1. paulo post principium. Supplementum summa Pisanæ verb. diuortium num. 2. & ibi Rosella num. 1. Syluest. quæst. 18. num. 21. Turrecr. 33. quæst. 1. in summa num. 7. & art. 1. num. 9. in fine corporis. Gaeta cap. ad limina 30. quæst. 1. §. 4. quæst. 2. 29. num. 532. Antonius Cucus lib. 5. institutionum maiorum tit. 12. nu. 264. Et ex Theologis, Sotus 4. d. 34. q. vnica, columna penultima vers. altera. Et ibi Durandus quæst. 3. num. 7. Ricard. 2. q. 1. Supplementum Gabriellis q. vnica, art. 2. in corollario primo, quod insert ex 1. propositione. Sotus quæst. vni. ca, art. 2. columna 5. conclusionē 4. Celata ibi quæst. 1. post. 2. conclusionem. Borri long quæst. vnica, art. 2. post. 2. conclusionem. Ludouicus Lopez 2. par. instructioij cap. 32. de matr. columna 4. vers. quarto dicitur. Vega 2. tomo summa cap. 34. casu 107. Quod si contra hoc opponatur, ex secundo matrimonio induci præsumptionē iuris, & de iure, fraudis, & odij: respōdebo num. 13. fine.

5 Hinc deducitur, ob eādem rationem restituerandum esse prius illud matrimonium, si feminam quācumq; cognoscat fornicariē vir ille ratione frigiditatis separatus. Cum iam constet falsam fuisse frigiditatem. Atq; ita docent Ioan. Andr. Anton. Alex. de Neuo, Præpos. Turrec. Supplementum Gabriellis num. præcedenti allegati. Moralduus summa, vbi de matr. tit. de impossibilitate coeundi quid sit. Abulenfis. c. 19. Matth. q. 90. ad finem corporis Ledef. 2. p. 4. q. 60. art. 1. col. 6. vers. cō illud autē. Palacios 4. d. 34. disput. 1. concl. 5. Bartholomæus à Ledefina de matr. dubio 48. fine.

6 Prima ergo conclusio sit. Dissolutō matrimonio ratione frigiditatis viri, si is ad aliud transeat, statim est posterius hoc matrimonium dissoluedum, absq; alia probatione. Quōd cum ille sit per Ecclesiæ sententiam declaratus frigidus, stat præsumptio ineptitudinis ad matrimonium contra illum. Deinde, quia siue sit verē frigidus, siue non, concluditur hoc posterius matrimonium esse nullum. Nam si verē frigidus sit, obstat valori matrimonij frigiditas: si autem non sit frigidus, obstat prius matrimonium, quod falsa frigiditatis probatione dissolutum est. Et ita docent Ioan. Andr. cap. laudabilem num. 8. de frigid. & malefic. & ibi Anton. nu. 14. Præpositus num. vltimo. Alexander de Neuo num. 15. & 16. Quōd si tempore quo frigidus hic ad alias nuptias transit, prior vxor obierat, adhuc statim separandus est à posteriori matrimonio; donec se potentem probet, & decepta fuisse Ecclesiā. Quōd sit interim præsumptio impotentia contra ipsum.

7 Secunda conclusio. Vt restitueretur prius frigidum matrimonium, tanquam validum, nec sufficere, nec desideratur frigidum ad alias nuptias transiisse: sed legitime probatum est, eum posteriores nuptias consummasse, aut fornicatum fuisse. Constat ex dictis num. 4. & 5. & Doctores ibi allegatis.

8 Hinc deducitur, non instaurandum esse prius illud matrimonium, donec legitime probetur posterioris consummatio, aut alia fornicatio. Quare iudex statim ac noverit transitum frigidum ad secundas nuptias, debet ex officio eas dissoluere tanquam irritas: & discutere debet num eas consummarit, vt vel sic decernat an prius matrimonium instaurandum sit. Iuxta id quod sibi prescribitur cap. laudabilem, de frigid. & malef. & alijs textibus num. 3. allegatis. Et constat, quia in ijs textibus iniungitur iudici, vt frigido transeunte ad aliud matrimonium, prius instaurat, ac frigidum eum priori vxore, tanquam reos periurij puniat. Ergo tenetur iudex discutere an posterius matrimonium à frigido consummatum sit. Nam nec eo nondum probato, potest prius instaurare: nec conuincitur reos periurij fuisse coniuges, affirmando eum iuramento viri frigiditatem. Præterea, quia iudicis est, matrimonia irrita dissoluere, & valida instaurare. Cùm maximum animarum periculum vertatur, non declarato an validum fuerit prius matrimonium.

Nam fortē mulier à frigido separata, ad alias nuptias transibit, vel iam transit: & ille irrete erunt, si priores valuerant.

9 Secundo deducitur, si vxor à frigido separata iam alij nupserat, nullam esse illi intendendam litem de valore posterioris sui matrimonij, sed pacificē in eo relinquendam, donec legitime probatum sit, frigidum consummasse posterius matrimonium, aut fornicatum fuisse. Quōd dum non probatur contrarium, in pacifica sui matrimonij possessione sit, fauente sibi Ecclesiæ sententia.

10 Sed rogabis, an mulier illa à frigido separata, ac secundo nupta, possit in hoc euentu petere, ac reddere: De redditione non est dubium: eō quōd posterior vir sit in possessione. De petitione autem potest esse difficultas. Quōd quantis mulier bona fide nupserit, iustum superueniat dubium valoris matrimonij. At ex illius non interdici sibi petitionem debiti. Quoniam non habet iustam dubitandi rationem de sui matrimonij valore. Cùm iustius fauorem habeat Ecclesiæ sententiam: contra illud autem, solum viri factum transeuntis ad secundas nuptias, quo profiteretur se non esse frigidum. At propter coniugis assertionem non præstatur sufficiens dubitandi ansa, vt teneatur alter coniux bona fide possidens dubitare, ac proinde abstinere à debiti petitione, (vt dixi lib. 2. disput. 41. num. 52.) Eō vel maxime quōd in priori iudicio se frigidum iureiurando testatus est, accedenti iuramento septimæ manus propinquorum, & triennalis cohabitatiois experientia. Quæ præponderant contraria assertioni coniugis facti ipso denotata.

11 Tertio deducitur, si mulier illa nōdum nupta sit, velitq; nubere, denegandum esse sibi licentiā, donec discutatur an maritus separatus ob frigiditatem consummarit eum posteriori vxore, vt sic instauretur prius matrimonium. Ducor, quōd iudicis tunc sit, discutere an prius matrimonium instaurandum sit. (vt probauit num. 8.) Extante ergo dubio hoc, liteq; pendenti, non est concedenda licentia femina, alij nubendi: eō vel maxime quōd ad impediendum matrimonium, multo minor probatio desideratur, quàm ad initum dissoluedum (vt probauit lib. 1. tota disputat. 71.) Quōd si de factō nupserit orta iam lite, separandum est donec lis decidatur. Iuxta ea quæ dicemus num. 3. in simili casu. Cùm iam

possessio sibi non faueat, vt potè quæ oblitum pendente per turbata est.

12. Quæto deducitur, nec in foro conscientie permittendum esse huic femina alteri nubere, donec discutatur an prius matrimonium instaurandum sit. Tum, quia periculo exponit posteriorem virum, vt illicitus maneat, si postea prius matrimonium instauratur: & grauis sibi lis intentetur circa posterioris matrimonij valorè: nec possit sibi consulere ad aliud transeundo, donec omnino terminetur lis, an prius matrimonium instaurandum sit. Tum etiam, quia cum non sit in possessione matrimonij, quod inire tentat, iustam habet rationem desistendi à matrimonio ineundo, donec veritas discutatur. Quod si de facto nubat, tanquam dubia fide contrahendi non suffragabitur possessio. Iuxta dicta lib. 2. disputat. 42. num. 2. & sequentibus. Quare ipsi non licebit petere, tenebitur tamè redere. Iuxta ibidem probata. Quod si vterque mala fide contraxerit, ibidem latè disputauimus quid dicendum sit.

13. Tandem videndum est, qualis probatio plena possit haberi consummationis posterioris matrimonij, seu copulae fornicariæ frigidi, vt vel sic instauratur prius matrimonium. Id enim improbabile esse suaudent argumenta num. 3. proposita. Sed dic, cum sententia matrimonij non transeat in rem iudicatam, (vt tota disputat. sequenti videbimus,) per eam non induci præsumptionem iuris, & de iure, contra quam nulla probatio admittatur. Vt docet Felinus cap. quoniam contra num. 30. in vers. item nota, de probat. Præterea, ex posteriori matrimonio inito à frigido iam nõ leuis præsumptio dissolutionis prioris matrimonij ex odio prioris vxoris inducitur, & mendacij, dum se frigidum protestatus est. Si enim frigidus esset, cum iam experientia norit semel dissolutum esse matrimonium, non ita facile auderet ad aliud transire. Et quauis præsumptio hæc non cõcludat priorem frigiditatis assertionem falsam fuisse, & hunc non esse frigidum: at alijs indicijs adiuta concludet, vt sic instauratur prius matrimonium. Vt si accedat confessio vtriusq; coniugis de copula habita, & cum ipsa esset virgo, (vt præsumitur,) reperitur per aspectum corruptat vel si conceperit in membro viri nullus defectus frigiditatem denotans patet. Et copula fornicaria probabitur diuersis feminis cum quibus is frigidus fornicatus

est, id testantibus. Cum sint testes oculati: & quauis sint singulares, & de propria turpitudine deponant, sufficienti in rem tam difficilis probationis: & in qua nõ possunt dari cõtelles ipsius copulae, nec testes oculati possunt esse personæ alij nisi cum quibus ea turpitudine admissa est. (vt in simili dixi probari copulam, disputat. 93. nu. 35.) Atq; ita Mascardus de probat. conclusione 1365. num. 1. probat in his, quæ ecclè sunt, vt in fornicatione, admitti testes alij in inhabiles. Ex quibus omnibus infero intellectum ad Glossam cap. 2. verb. paret. 33. quæst. 1. quam sequitur ibi Turree. nu. 2. vbi aiunt separatione facta ratione frigiditatis probatur matrimonij, si frigidus ad secundum matrimonium trãtetur, esse præsumptionem iuris, & de iure contra quam non admittitur probatio, dimissionis prioris vxoris ex odio. Et constat ex eo textu, ibi. Si igitur vir aliam vult vxorem accipere, manifesta paret ratio, quia suggerente diabolo, odij fomite exorsam eam habuit. Sed hæc doctrina intelligenda est, quando legitime constat consummatum huius posterioris matrimonij. Solus enim contractus præsumptionem aliquam fraudis generat, at non concludentem; donec probetur consummatio. Iuxta ea quæ diximus num. 4.

Ad argumenta nu. 3. proposita constat ex dictis num. præcedentibus, vbi explicauimus qualis probatio concludat posterioris matrimonij consummationem, vel copulam fornicariam: & ex prioris sententia, vt potè quæ non transit in rem iudicatam, non confurgere præsumptionem iuris, & de iure confurgere autem eam præsumptionem odij, & fraudis in dissolutione prioris matrimonij, quando posterioris consummatio probatur.

#### SVMMARIVM.

**A**lii si femina ratione arctitudinis separata, alij nubat, ab eoq; cognoscatur, sit instaurandum prius matrimonium? Refertur quædam opinio num. 15.

Proponitur sententia Authori. num. 16. An statim separandum sit posterius hoc arctæ matrimonium, & instaurandum prius: & priori viro separato, qui aliam duxerat; inseruandum sit, petere, & reddere: vel si nondum duxerit, prohibenda sit ductio? num. 17.

Quid, si arctitudo ob quam prius matrimonium est dissolutum, sit tantum respectiua? num. 18.

Qualis

Qualis probatio posteriori copula cum hac femina arctæ, ratione arctitudinis separata, adhibenda sit, vt prius matrimonium instauratur, posteriori dissoluitur? num. 19. Post. num. 19. inuenies alia summaria.

15. **Q**uestio secunda. An si femina ratione arctitudinis à priori matrimonio separata, alij nubat, ab eoq; cognoscatur, sit instaurandum prius matrimonium, posteriori dissoluitur? Difficultas huius questionis pendet ex intellectu cap. frater nitatis, de frig. & malef. vbi textus de hac femina loquens, sic ait. Sententiam diuorij per errorem licet probabile nominis esse prolata. Cum pateat ex post facto, qd ipsa cognoscibilis erat illi, cuius simili commisit. Et ideo inter ipsam, & primum virum dicimus matrimonium extitisse. Quare inter eam, & prædictum quædam matrimonium non esse censemus, eoq; præcipuum ab invicem separari. Difficultas ergo est, an quodis femina ratione arctitudinis separata à priori viro, cognoscatur ab alio copula coniugali, aut fornicaria, sit restituenda priori marito: an potius sit attendendum, an vterq; vir sit similis complexionis? Et quid de decilio huius questionis pendet ex illa, quam discussimus disputat. 93. an tunc temporis prius matrimonium censeatur validum, consummatum; Ecclesia id impedimentum esse temporale. Nam qui censent (quos retuli ea disputat. 93. num. 11.) impedimentum esse temporale, ac subinde prius matrimonium fuisse validum, à quoque viro, siue simili, siue dissimili, femina illa postea cognoscatur, subinde dicunt prius matrimonium tanquam validum, esse restaurandum: & sic vxorem hæc priori viro esse restituendam. Quorum fundamenta ibi retuli. Atq; idem censent quos ibi retuli num. 16. dicentes, qualitercumq; reddatur apta femina priori viro, etiam cum mortis periculo, si illud euadat, valere prius matrimonium.

16. At iuxta veriore sententiam, quam disputat. 93. num. 12. & sequentibus, amplexi sumus, nimirum, prius matrimonium irritum fuisse, quando abfq; mortis periculo verè non potuit aptari priori viro, nec per proprium vsum, sed per vsum virilonè potentioris: dicendum est, attendendum esse, an sit talis dissimilitudo inter vtrumq; virum: & tunc non esse instaurandum prius matrimonium: scilicet si ea dissimilitudo non sit. Itaq; resolutio huius

questionis pendet ex valore prioris matrimonij: quem latè ibi discussimus. Quando enim est validum, instaurandum est, secus quando est irritum.

17. An verò femina hæc arctæ, quæ alij nupit, sit statim separanda à matrimonio posteriori, & si forte vir prior aliam duxerit, separandum quoq; sit, & interdicienda sint petitiõ, ac redditio debiti: atq; aliq; nuptiæ, si nondum prior ad alias transierat? Sic dicendum est. Si femina illa absolutè, & omnino arctæ iudicata sit respectu omnium, & ideo dissolutum est prius matrimonium, statim separandum est posterius matrimonium. Quod cuiuslibet matrimonij incapax declarata sit: & ita sit contra ipsam præsumptio: iuxta ea, quæ dixi num. 6. de matrimonio frigidi. Circa restaurationem autem prioris matrimonij, & interdictionem posterioris, ac redditiois, & petitionis debiti, dicendum est proffus quod dixi à num. 7. vsq; ad 13. quando separatur matrimonium ratione frigiditatis. Cum eadem proffus sit ratio: tam incapax enim est femina omnino arctæ matrimonij cuiusuis, quam vir omnino frigidus.

18. Quod si impotentia, seu arctitudo feminae non absoluta, sed respectiua iudicata est, non separanda est à posteriori matrimonio: nec aliqua vni partes iudicis ad perturbandum hoc posterius coniugium, sit eme intentandam. Cum legitime nubere potuerit: non enim sibi interdici potuit aliud matrimonium. Iuxta dicta disputat. 93. num. finali. Quare nisi constet virum hunc, qui illam cognouit, esse similem priori, vel abfq; vitæ periculo potuisse aptari, in quibus casibus prius matrimonium fuit validum, ac constat deceptam fuisse Ecclesiam, iuxta ea quæ dixi disputat. 93. num. 12. & 18. cum sequentibus, non separandum erit posterius matrimonium, ac instaurandum prius. Quod si aliquis adiret iudicè denuncians prius matrimonium validè fuisse, causamq; allegaret: non perturbandum est posterius matrimonium, donec id ex probatis constat. Cum iuxta, ac legitima possessio sit pro illo matrimonio. Quare iudex tunc nullam in informationem recipiet, & si nil consideratione dignum reperierit, rejiciet denunciantem: si verò probationes reperierit, citabit partes, & data eis processus copia profectetur iudicium: nec interim donec lis terminetur, eos separabit à posteriori matrimonio, pro quo est possessio.

19 Tandem rogabis, qualis probatio potestioris copulæ cū femina iudicata omnino acta, & ob id à priori matrimonio separata, adhibenda sit, ut prius matrimonium instauraretur. Respondeo idem censendum esse, quod num. 13. diximus de matrimonio frigiditatis vitii causa dissoluto. Et in hoc euentu ad restaurandum prius matrimonium, id quoque cōstare potest ex inspectione viri, & viri, an sint similes ætate, & robore naturali: & ex inspectione feminae, ac testimonio medicorum iudicantiū, an potuerit reddi apta priori viro, absque mortis periculo.

## SUMMARIVM.

**A**n dissoluto matrimonio ratione maleficij, si postea maleficiatus ad aliud transiit matrimonium, aut fornicetur, sit prius matrimonium instaurandum? Refertur duplex opinio. num. 20. 21.

Separato matrimonio ratione maleficij, conceditur utriusque coniugi licentia ad aliud transseundi: & eo inito non est prius restaurandum. num. 22.

Quid, si sententia dissolutionis prioris matrimonij non sit legitime lata? num. 23.

Quid, si maleficium sit generale respectu omnium? num. 24.

Quid, si feminam respectu cuius erat maleficium, vir ille postea cognoscit? num. 25.

Satisfit argumentis. num. 25.

Post. num. 26. inuenies alia summaria.

20 **Q**uestio tertia. An dissoluto matrimonio ratione maleficij, aut utriusque, aut alterutrius coniugis, si maleficiatus aliud inerat, aut fornicetur, sit restaurandum prius? Difficultas huius questionis versatur circa intelligentiam textus cap. finali. 33. quæst. 1. Qui ex Himerio Rhemensis Archiepiscopo, ubi de maleficiatis loquens, sic ait. *Quod si forte sanare non poterint, separari valebunt: sed postquam alias nuptias experierit illi in carne uiuentibus, si distincti fuerint, prioribus, quos reliquerant, etiam si possibilis concubendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt.* Vbi manifestè sentit textus, separatum ratione maleficij, si ad alias nuptias transierit, non restituendum esse priori coniugio, sed in posteriori relinquendum, quoniam potentia concubendi cessante maleficio sit ei restituta. Quæ dictioni textus cap. fraternitatis, de frigid. & malef. videntur repugnare. Nam ibi traditur

regula generalis docens, impedimentum impotentia non esse perpetuum, nec dirimere matrimonium, quoties per opus humanum absque vitæ periculo remoueri potest. Cùm ergo experientia doceat, iam cessasse maleficium, ac impotentiam ex illo confurgentem, & hoc absque diuino miraculo, quod non præsumitur: iuxta de cisionem. d. cap. fraternitatis, constabit impotentiam non fuisse perpetuam, ac subinde prius matrimonium fuisse validum: & per falsam perpetuitatis maleficij existimationem dissolutum esse. Ergo restaurandum erit, contra expressam decisionem. d. cap. finali. Secundo, quia separatione facta ratione frigiditatis viri, si is alias nuptias consummet, forniceturque, instauratur prius matrimonium: iuxta cap. r. & cap. laudabilem, de frigid. & malef. Ergo idem sentiendum est, quando ratione maleficij dissolutum erat. Cùm in utroque euentu constet ex copula subsecuta, Ecclesie sententiam falsam perpetuitatis impedimenti existimatione innoxiam fuisse. Et idè Glossa eo cap. finali verb. nequibunt, in priori solutione, ait auctorem eius textus potius ignarum dicendum esse, nec eius decisionem esse veram. Et Gratianus ibi, in fine, notat eam decisionem videri repugnare decisioni cap. laudabile, de frigid. & malef. Atque ita decisionem eius textus seruandam non esse, sed instaurandum prius matrimonium, tradunt Innoc. cap. 1. num. 2. & cap. laudabilem num. vnicò, ad finem verb. separantur, de frigid. Alexander. Carrerius lib. 5. de Sponsalibus cap. 18.

Alij dicunt, si legitime facta sit separatio prioris matrimonij, nempe, præmissis eohabitatione triennali, iuramentis coniugum, & septimæ manus propinquorum, id non restaurari cessante postea maleficio: secus si ob aliud impedimentum facta esset prioris matrimonij separatio. Idque probant ex. d. cap. finali. 33. quæst. 1. Sic Brunellus de sponsalibus, conclusione 28. limitatione 6. num. 25. Idem tenent quando iam alter ex separatis ratione maleficij, ad aliud matrimonium transierat, Supplementum Pisane verb. impedimentum, impedimento 15. num. penultimo. Gaeta cap. ad limina 30. quæst. 1. §. 4. quæst. 245. num. 540. Henriquez lib. 12. de matrimonio. cap. 8. num. 2. & num. 3. in commento, litera L. ubi idem dicit, si iam vir se separatis legitime, ad alium statim transierat, ut quia iam sacris initiatus erat. Et reddit rationem,

quod

quod in his euentibus prius matrimonium falsum iure Ecclesiastico erat irritum, per d. cap. finale. Et fauet expressè Glossa finalis eo. c. finali. in vltima solutione, dum explicat eum textum, in quantum significat reddita potentia non restaurari prius matrimonium, ut intelligatur, quando post triennium reddita est.

22 His tamen non obstantibus, dicendum est textum. d. cap. finali. 33. quæst. 1. vim habere quoad hoc, nec esse correctum iure aliquo: ac proinde eius decisionem seruandam esse, lano modo intellectam. Quæ tamen is textus non sit ex aliquo Pontifice, aut concilio generali desumptus, sed ex Archiepiscopo, ac proinde ex hac parte vi canonici decreti desiliatur: ac communis Ecclesie vsu, & approbatione receptus est quoad hoc, & idè vim decisionis canonicæ habet. Quare iuxta eum textum tenendum est, dissolutione matrimonij facta legitime per Ecclesiam ratione maleficij, siue alterius, siue utriusque coniugis, concedendam esse utriusque coniugis licentiam ad alias nuptias transeundi: ac proinde eis in euentibus aliud matrimonium, idque consummantibus, nequaquam prius instaurandum esse. Quod id interfit inter frigidum, & maleficiatum, ut frigidus sit impotens erga omnes: quare si ab inito matrimonio separatur, quoties aliud consummarit, aut fornicatus fuerit, restitendus est prioribus nuptijs: ed quod manifestè tunc constat eum non fuisse frigidum, atque ita Ecclesiam deceptam. At maleficiatus est regulariter impotens respectu vnus, vel alterius tantum, (ut probaui disput. 94. num. 4.) quare potest legitime matrimonio iungi cum alia persona, respectu cuius non est impotens ratione maleficij: & idè ex hoc matrimonio inito, & consummato, non probatur potentia respectu prioris coniugis, atque Ecclesie deceptio. Quare prius matrimonium restaurandum non est. Atque ita docent ex Iurisperitis, Glossa cap. 1. verb. reparare, & cap. laudabilem verb. separantur, & verb. redire, & cap. finali. verb. cognoscendi, de frigid. & malef. Anton. eo cap. 1. num. 17. Abb. ibi, in fine, Alexander de Neuo num. 10. Præpositus num. vltimo vers. in fine Glossæ. Idem Anton. cap. fraternitatis, de frigid. & ibi Abb. num. 13. Præpos. num. 12. fine. Henricus num. 12. & ibi Alexand. de Neuo. §. quantum num. 6. fine. Goffredus summa tit. de frigid. num. 3. & 8. Ioannes Andr. tractatu

de matrim. num. 16. Albericus in suo dictionario, litera I. verb. impedimentum, impedimento 15. ad finem. Altesius 2. p. summa, lib. 8. tit. 29. art. vnicò quæst. 2. Monaldus summa, vbi de matrim. tit. qualiter & quando fit diuortium propter impedimentum coeundi, columna 1. vers. ite frigidus Rainerius 2. p. summa, tractatu de matrim. cap. 27. fine. Turres. cap. finali. 33. quæst. 1. art. 2. num. 2. in fine corporis. Angelus verb. matrimonium 3. impedimento 16. num. 12. Sylu. verb. matrimonium 8. quæst. 16. dicto 8. Armilla verb. matrimonium num. 49. Tabiena verb. impedimentum, impedimento 12. quæst. 7. num. 8. Lex regia 5. fine. tit. 8. p. 4. & lex finalis, in fine, eodem tit. & p. & ibi Grego. Lopez verb. tornar. Decisio capellæ Tholosanæ 381. dubio 1. num. 1. Franciscus Marcus decisionem Parlamenti Delphinalis 677. num. 14. Hugolinus de matrim. cap. 19. num. 1. Et ex Theologis D. Thom. 4. d. 35. q. vnicò, art. 3. corpore, & ibi Albertus Magnus art. 10. Scotus. q. vnicò. D. Bonauen. ibi, in expositione literæ num. 7. Durand. quæst. 2. num. 8. Ricardus art. 3. q. 1. Palud. q. 2. art. 3. conclus. 2. num. 17. Supplementum Gabirelis. q. vnicò, art. 2. conclus. 6. Bassolis quæst. vnicò, art. 1. Nicolaus de Orbellis. q. vnicò. Sotus. q. vnicò, art. 3. conclus. 3. & ad finem corporis. Borrillong. q. vnicò, art. 2. Palacios disput. 1. conclus. 5. Onandus disput. vnicò, propositione 6. Celaia q. 2. paulo post principium. D. Anton. 3. par. tit. 1. cap. 12. §. 3. Abulensis cap. 19. Matt. q. 90. ad finem corporis. Petrus de Soro lect. 9. de matrim. pagina 2. vers. dubitatur. Ledesma 2. p. 4. q. 60. art. 2. columna 2. vers. sed an si post factam. Viguerius lib. institutionum cap. 16. §. 7. vers. 9. impedimento 11. Veracruz 1. p. Speculi, art. 40. fine. Angles floribus 1. p. vbi de matrim. q. 8. art. 2. dubio 1. Et post dubium 2. difficultate vnicò. Petrus de Ledesma de matrim. q. 58. art. 2. paulo ante 1. dubium. Bartholomæo de Ledesma de matrim. dubio 49. conclus. 3. Manuel 1. tomo summa 2. editione cap. 235. conclus. 3. num. 3. Toledo lib. 7. summa cap. 12. fine. Philarcus de officio Sacerdotis, rom. 1. p. 2. lib. 2. c. 10. Hériquez lib. 12. de matrim. cap. 8. num. 2. Vega 2. tomo summa cap. 3. casu 108. Ludouicus Lopez 2. part. instructor. vbi de matrim. cap. 52. columna penultima. Cañedo summa Sacramen. vbi de matrim. cap. 5. num. 36.

23 Hoc tamen temperandum est primò, quando legitime lata est separationis matrimonij sententia. Vt lapsò triennio experientia, & adhibitis legitimis probationibus, quas ius ad dicti matrimonij dissolutionem petit. (de quibus est insertis disputandum.) Si enim non legitime dissolutum sit, debet instaurari, vt error sententiæ dissolutionis reparatur: donec adhibeantur omnia requisita ad dissolutionem. Sic Gregor. Lopez. l. finali. tit. 8. part. 4. verb. tornar. Henriquez lib. 12. de matrimo. cap. 8. num. 2. & in commento, litera Y. & num. 3. in commento, litera L. Nec aliquis hoc negabit. Et ita Nauarr. lib. 4. consil. vtraque editione tit. de frigid. toto consil. 1. iudicauit instaurandum matrimonium: quòd non sit dissolutum præmissis his.

24 Secundo temperandum est, vt intelligatur quòd maleficium est particulare respectu vnus, aut alterius tantum: (vt regulariter contingit.) Si enim constaret maleficium esse generale respectu omnium, tunc si maleficius dissolutò priori matrimonio per Ecclesiam, ad aliud transiret, idque confirmaret, separandum esset, & instaurandum prius matrimonium. Quòd de huiusmodi maleficiò eadem sit ratio ac de frigiditate, vt vtique impotens ad omnes præsumatur. Quare experientia ex copula desumpta deinceps cessasse impotentiam illam ex maleficio ortam, & ita eam non fuisse perpetuam, constat Ecclesiæ sententiam innoxiam fuisse falsa presumptione perpetuitatis impotentia, quare instaurandum erit prius matrimonium tanquam validum. Sic tradant D. Thom. 4. distinet. 34. in fine, in expositione literæ Magistri D. Bonauent. ibi, in eadem expositione literæ num. 7. & art. 2. quæst. 2. num. 24. Palud. ibi. quæst. 2. art. 3. conclus. 2. num. 17. Bassolis. quæst. vnica. art. 1. Nicolaus de Orbellis. quæst. vnica. Sotus quæst. vnica. art. 3. ad finem corporis. vers. at verò. Palacios disputat. l. conclusionem 5. D. Anton. 3. part. tit. 1. cap. 12. §. 3. Bartholomæus à Ledesma de matrimo. dubio 49. conclus. 3. Henriquez lib. 12. de matrimo. cap. 8. num. 3. Vega. 2. tomo summæ. cap. 34. casu 108. Petrus de Ledesma de matrimo. quæst. 58 art. 2. dubio 1. Ludouicus Lopez. 2. part. instructorij, vbi de matrimo. cap. 52. columna penultima. Et ex Iurisperitis, Albericus, Angelus, Syluest. Astenfis num. 22. allegati. Ioannes de Friburgo in summa confessorum, lib. 4. tit. 16. quæst. 15. Gre-

gor. Lopez. l. finali. verb. tornar. tit. 8. part. 4. Atque idem dicendum est, si maleficius ille respectu omnium, fornicaretur cò aliqua: instaurandum enim esset prius matrimonium. Quòd copula illa declarari cessasse maleficium, & impotentiam fuisse temporalem. Sicut num. 7. diximus de frigiditate fornicanti. Sed petes, qualiter cognosci possit maleficium esse vniuersale? Respondent bene Sotus, Bartholomæus à Ledesma, & Ludouicus Lopez proximè allegati, difficile esse cognitu, at posse id deprehendi, quando plurimas feminas maleficius ille tetrauit cognoscere, & nullam potuit: eum tamen eum non esse frigidum constet.

25 Tandem temperandum est, nisi vir ille eandem vxorem quam maleficius erant, & à qua ratione maleficii disiuictus fuerat, fornicariè cognoscatur: tunc instaurandum est matrimonium cum illa. Quòd experientia ipsi docuerit, Ecclesiam dissoluentem matrimonium, deceptam esse, dum impotentiam illam ex maleficio ortam iudicauit perpetuam. Atque ita docent ex Iurisperitis, Glossa cap. finali. verb. concubendi. 33. quæst. 1. & cap. fraternitatis. verb. diuinum, in fine, de frigid. & malef. & ibi Anton. num. 20. Præposit. in. 12. fine. Astenfis. 2. part. summæ. lib. 8. tit. 29. art. vnico. quæst. 6. Syluest. verb. matrimonium. 8. quæst. 16. di. 8. Gregor. Lopez. l. finali. verb. tornar. tit. 8. part. 4. & ex Theologis, Durandus. 4. dist. 34. quæst. 2. num. 3. & ibi Ricardus art. 1. quæst. 2. corpore, & ad 1. Sotus, Bartholomæus à Ledesma, Petrus de Ledesma, Vega, Ludouicus Lopez num. præcedenti allegati. Martinus de Ledesma, Ouardus, Manuel, Cañedo, quos num. 22. retuli. Atque id verisimium est, contra Doctores num. 21. relatos, quâuis maleficius ille, aut vtique iam ad aliud transisset matrimonium. Cùm enim ex ea copula constet maleficium non fuisse perpetuum, non est cur non sit reparandum prius matrimonium, quod re vera validum fuerat, & ex falsi affirmatione perpetuitatis impedimèti dissolutum. dirempto posteriori, quod verè irritum est. Et caret fundamento dicere, in hoc euentu prius illud matrimonium esse iure Ecclesiæ irritum: per. c. finale. 33. q. 1. nam verba in eo posita sunt alio modo intelligenda: vt nu. sequenti explicabimus. Et ita docent Ricard. Astenfis, Syluest. Martinus à Ledesma, Gregor. Lopez proximè allegati.

Ad

26 Ad argumenta num. 20. & 21. proposita ex cap. finali. 33. quæst. 1. partim costat ex dictis num. 22. Nam quatenus ibi deciditur posse maleficiò, & maleficium non est vniuersale, sed particulare, dissolutò priori matrimonio, concedi licentiam transse ad aliud, nec eo consummato, instaurandum esse prius matrimonium, iam ibi ostendimus id non aduersari decisione aliorum textuum, qui de frigiditate loquuntur: ac constitutum differenciam inter frigidum, & maleficiò. At grauior est difficultas quoad aliam partem, in qua textus ille decidit, reddita illis concubendi potentia non restituitur prius matrimonium. Ricardus, Astenfis, Syluest. Martinus à Ledesma num. præcedenti allegati sentiunt cum Doctores, quos num. 20. retuli, non esse veram, quò ad hoc decisionem illius Archiepiscopi, ex quo in textu desumptus est. Sed melius Glossa eo. cap. finali. verb. concubendi, Sotus, Bartholomæus à Ledesma num. præcedenti allegati, intelligunt eum textum, quando existit potentia concubendi cum alijs, secus inter ipsosmet. Quia cum maleficium illud sit particulare, & tunc non impedit respectu omnium, ex potentia concubendi cum alijs non arguitur potentia copulæ cum illa ad quæ est maleficium. Secus de copula cum illa. Quòd si opponas hanc expositionem aduersari literæ textus. Quia textus sic ait: *Si possibilitas concubendi eum reddita sit, reconciliari nequibit.* At quòdo maleficius solùm potest cum alijs concubere, nulla ei verè redditur potentia: eò quòd ad concubendum cum feminis alijs nunquam fuerat ablata. Dic eam particulam, reddita, non sumi proprie, quasi importet potentia femel ablatam restitutam fuisse. Sed sensus est, cognita verè redditur potentia concubendi cum alijs, non instaurandum est prius matrimonium. Quia maleficiò non impedit regulariter respectu omnium.

## SVMMARIVM.

27 **A**N Quando coniugij impotentia in genere allegata est, & dissolutum matrimonium, sit instaurandum, si coniugij impotens, ad alias nuptias transeat? num. 27.

28 **Q**uid teneatur tunc discutere iudex, ad iudicandum verum ex his coniugij valeat? numero 28.

29 **A**n iudex ratione impotentia dissolvens matrimonium, teneatur speciem impotentia explicare? num. 29.

*An quoties instauratio prioris matrimonij faciendi est, sit differenda, donec vtique coniugij penitentiam agat de perituro, dum in separatione iurauerit impotentiam? num. 30. Post num. 30. inuenies alia summaria.*

30 **Q**uestio quarta. An si mulier allegarit virum impotentem, nulla speciali impotentia causa expressa, (quod posse dicam disputat. 108. num. 20.) & vir post separationem matrimonij, ad aliud transierit, sit instaurandum prius matrimonium? Glossa. c. requisiti. verb. accepit. 33. q. 1. quam sequitur Astenfis. 2. p. summæ. lib. 8. tit. 37. art. 1. q. 2. docet non instaurandum esse statim prius matrimonium. Quòd femina totum suum ius videatur in iudicium deduxisse, vt idem esset, ac si ob frigiditatem, vel maleficium, esset dissolutum matrimonium. At quando ob maleficium dissoluitur, non instauratur matrimonium, ex hoc quòd maleficius ad aliud trãseat. (vt num. 22. probauimus.) Et hoc placet in eo sensu, vt non statim ac consummatum posteriori matrimonium a viro illo, sit prius instaurandum, donec causa impotentia discutatur.

31 Teneatur tamen iudex inquirere causam impotentia viri, ob quam dissolutum est prius matrimonium, vt inde discernat verum ex his matrimonij valeat. Nam diuersimodè iudicium feret, si fuit frigiditas, aut impotentia solam respectiua, aut maleficium: iuxta tradita tota hac disputatione. Quòd si iudex, qui dissolutionis prioris matrimonij sententiam tulit, causam non expressit impotentia: erit à præsentii iudice consideranda: ex probatis in prioribus processibus: & ex causis quas testes, matronæ, & medicus reddiderit: quòd si nec ex eis constet, ipse denudò inquiret. Et eum mulier illa legitime nupserit, & sit possessio pro eius matrimonio, non est contra id matrimonium aliquid intentandum, nec separandum, donec constet prius validum fuisse, & instaurandum. At separandum est posteriori impotentis matrimonium, vt potè contra quòd est præsumptio ratione impotentia, donec causa discutatur.

32 Hinc deducitur, quauis pars non teneatur allegare causam impotentia, sed satis sit, si impotentiam in genere alleget, iudicem tamen teneri eam explicare in sua sententia, & explicitè discutere. Quia iudicis est, considerare an impotentia debeat

perpe-

perpetuo interdicere matrimonium: ut si sit omnino frigidus, aut mulier omnino arida: an solum cum ea femina, aut similibus, eod quod sit impotentia solum respectiva: aut cum sola illa: eod quod sit cum illa maleficiatus: item an instaurandum sit prius matrimonium, si impotens aliud consummarit, aut fornicatus fuerit. Quæ præstare nequit, non cognita impotentia specie. Et licet in iudex non teneatur in sententia exprimere causam. cap. sicur. c. cum Bertoldus, de re iudic. at tenetur, quando ex diversitate causæ varij cõsurgunt effectus. ut probat Socinus senior. l. si de re. num. 3. ff. de exceptione rei iudic.

30 Tandem rogabis, an quoties instauratio prioris matrimonij faciendâ est, sit differenda donec uterque coniux penitentiam agat de perituro commisso, dum in separatione impotentiam iurarunt? Id enim prærequiri suadet textus. cap. laudabilem, de frigid. in fine, ibi: *Et peracta penitentia cogantur ad priora nubia redire.* Quod idè præcipitur. cap. requisisti. 33. quest. 1. Sed bene Turrecrem. eo. cap. requisisti, in fine, ad satis esse, si incepta penitentia sit. Imò ego credo satis esse, illis iniunctam fuisse. Ea enim mens textus videtur, ut iudex declarans prius matrimonium validum fuisse, ac instaurandum, iniungat simul perituri penitentiam coniugibus. Nec videtur mens textus, ut instauratio illa matrimonij prioris differatur cum animarum utriusque coniugis iactura, eod quod illi non inceperint implere penitentiam: aut quod gravem iudicant, ab ea appellaverint.

## SUMMARIUM.

Quoties femina restituenda sit priori viro, à quo tanquam arida est separata, ut expe-riatur, an sit potens ad illam? Refertur triplex sententia. num. 31. 32. 33. Propositur sententia auctoritatis. num. 34. Quid, quando ratione masculij generalis, aut frigiditatis, aut impotentia respectiva separatio facta est? & adhibitis medicaminibus non potest vir feminam sibi restitutam nosse? num. 35. An durante triennio experientia priori viro concedendo ad experiendum, an possit feminam cognoscere, sit interdicendum posteriori viro cui illa nupsit, transire ad alias nuptias, & si transcat, sit separandus? numero 36. Post num. 36. intemes cetera summaria, quæ desiderantur.

31 **Q**uestio quinta. Quoties femina à viro separata, quod ab eo cognosci nequijt, & ei restituta, propter deceptionem circa impotentiam deprehensam, sit illi restituenda, si ab eo adhuc nequeat cognosci? Quidam Ioannes Doctor antiquus (ut refert Gloss. c. fraternitatis. verb. fornicario, in fine, de frigid. & malef.) censuit in infinitum hanc restitutionem faciendam esse. Quare licet semel, & iterum, & sic in infinitum, separaretur à priori viro, si postea cognoscat ab alio, erit restituenda priori. Quia quoties femina illa ratione arditudinis separata cognoscitur ab alio, præsumit Ecclesia falsam fuisse arditudinis allegationem, ac proinde potuisse per frequentationem vsu à priori viro cognosci.

32 Tancredus verò ab eadem Glossa allegatus, censuit restitutionem hanc vsque ad tertiam vicem faciendam tantum. Quod absurda appareat restitutio in infinitum multiplicata: & idè aliqua moralis regula prudentiæ consentanea sumenda sit, ex qua cognoscatur perpetua arditudo feminae respectu huius viri. Nulla autem ita prudens videtur, quàm vsque ad tertiam vicem restitutionem fieri. Et hanc sententiam sequuntur eadem Glossa ibi, & Mondal. summa, tractatu de matrimonio. tit. de impossibilitate coeundi quid sit.

33 Alij dicunt restitutionem faciendam esse, dum ex inspectione dubitatur, an possit femina illa à priori viro cognosci. Quod contingit, quando nõ est dissimilitudo membrorum, & roboris utriusque viri. Sic Innocen. cap. fraternitatis. nu. 6. verb. dubitabilis, de frigid. & malefic.

34 Sed dicendum est, semel tantum restituendum priori viro, & cum eo remansuram triennio, & si eo tempore cognoscatur, firmum manere prius matrimonium: si autem eo triennio cognosci nequeat ab illo, præsumi saltem eum virum maleficiatum respectu illius, ac impotentem ad illam, ac proinde in perpetuum declarandum esse irritum prius illud matrimonium: ac reddendam posteriori viro, cui nupsit, feminam illam. Quia cap. laudabilem, de frigid. triennium datur ad experiendam impotentiam, & eo elapso iudicatur perpetua. Cum ergo in hoc euentu consurgat ex post facto dubium impotentie, sufficit triennium experientie, ut victo dubio veritas pateat. Et ita sentiant Hostiens. summa. tit. de frigid. & malefic. §.

quali-

qualiter, & quando. num. 13. ad finem. & cap. fraternitatis. num. 11. eodem tit. & ibi Ioann. Andre. num. 28. Anton. num. 32. Abbas num. 20. Anchar. num. 16. verli. secundum quæritio. Præpositus num. 18. versic. in eadem Glossa, in verb. fornicario. Henricus num. 14. Aftenlis 2. part. summa, lib. 8. tit. 27. art. vnico. quaest. 3. Ioannes de Triburgo summa confessorum, lib. 4. tit. 16. q. 5. Alberic. in suo dictionario, litera I. verb. impedimentum, impedimento 15. Brunellus de sponsalibus, conclusione 28. limitatione 6. num. 25. Turrecrem. 33. quest. 1. in summa, art. 3. num. 16. Supplementum Pina. verb. impedimentum, impedimento 15. num. 12. & ibi Rosella impedimento 15. num. 13. Gaeta repetitione, cap. ad limina. 30. quaest. 1. §. 4. q. 13. l. num. 33. 4. Antonius Cucus lib. 5. Institutionum maiorum. tit. 12. num. 162. Qualiter sit computandum triennium, & an in senibus desideretur, est specialiter dicendum infra disput. 108. nu. 21. & tota disput. 110. & 111.

35 Atque idem dicendum est, quando ratione frigiditatis viri, aut masculij existimati alterutrinus coniugis, generalis respectu omnium, separatum est matrimonium, & postea experientia compertum est, eum virum aliud in ijsse, ac consummasse matrimonium, aut fornicatum esse, in quibus casibus prius matrimonium instaurandum diximus: si enim eo instaurato, & reddita priori vxore huic frigidus, vel maleficiatus, non poterit triennio illam cognoscere, separabitur iterum matrimonium absque restitutionis spe. Quippè transacto illo, constabit saltem masculicium respectu illius, ac impotentia frigiditatis non absolute, sed respectu ad illam. Atque idem dicendum est, quando iudicantur medici, per incisionem, aut medicamina posse mulierem reddi aptam viro, & ea adhibita sunt: tunc enim si transacto postea triennio, hæc mulier viro restituta non poterit ab eo cognosci, censetur impotentia respectu huius perpetua, & in perpetuum separabitur matrimonium. Quia eadem prorsus militat ratio in his casibus, & in casu numero præcedenti relato, quem communiter Doctores approbant. Quod cum in omnibus his euentibus credatur impedimentum cessasse, & Ecclesiam deceptam esse circa impedimenti perpetuitatem, atque ita probabile sit dubium de hoc, nulla alia melior regula præscribi potest ad veritatem indagandam, quàm triennium experientie cõ-

cessum in dubio huius impotentia. c. laudabilem, de frigid. & malef.

36 Hinc deducitur, durante eo triennio, quo femina cum priori viro cõmorari debet, ad experiendum num prius matrimonium fuerit illegitimè dissolutum, sitque tanquam validum instaurandum, interdicendum esse posteriori viro, cui femina illa nupsit, ne aliam ducat: quod si contra interdictionem duxerit, separandum ab hac vxore, donec eo triennio constet, an femina priori viro restituta poterit ab eo cognosci, statim enim, ac ab eo cognita fuerit, liquet prius matrimonium fuisse validum, ac per errorem dissolutum esse, ac proinde instaurabitur, dissoluto posteriori matrimonio illius feminae cum secundo viro: quare iudicabitur etiam validum aliud coniugium, quod hic secundus vir contra Ecclesiam interdictionem inierat. Quod si triennio transacto non poterit cognosci à priori viro, cui restituta est, reddetur posteriori viro, ac declarabitur prius matrimonium irritum fuisse, & posteriori validum: atque dissoluetur aliud quod hic secundus vir contraxerat. Sic tradunt Hostiensis, Ioann. Andr. Antoni. Ancharan. Præposit. Henricus num. 3. allegati.

## SUMMARIUM.

37 **Q**uid sciendum, quando inuenit error dissolutionis prioris matrimonij, alter coniux est iam professus, aut vult profiteri, etiam si ante separationem immixtum esset semen intra vas feminae absque corruptione. Et an reputetur validum quando vir nequit intra seminare, sed casu matris intravit? num. 37. An si coniux in seculo relicto transiisset ad aliud matrimonium, hoc posterius sit dissolvendum, existenti coniuge priori professore? num. 38. Quis, si vir ratione huius falsa impotentia separatus sit iam in sacris, & an vxor separatim viuere volens teneatur promittere castitatem? num. 39. An vir hic sacris initiatus, restitutus vxori, possit petere, & reddere? num. 40.

38 **Q**uestio vltima. Qualis restitutio faciendâ sit, quando tempore, quo inuenitur deceptio Ecclesie circa dissolutionem matrimonij sententiam, est iam alter coniux professus, aut sacris iniuriatus? Et quidem si alteruter coniux sit iam profes-

sus,

lus, aut profiteri velit, manifestum est apud omnes, nullam restitutionem faciendam. Quod iam prius matrimonium, quod consummatum non erat, dissolutum sit per professionem, aut per illam dissolui possit, cap. ex publico, de conuers. coniug. Atque ita in hoc euentu deciditur, c. fraternitatis, de frigid. & malef. & docent omnes allegandi cum Glossa ibi. verb. remaneat. Est tamen maximè attendendum, an virgo illa, quam Ecclesia arctam iudicauit, & nunc experientia inuenitur apta priori viro, salua integritate receperit semen illius prioris intra vas, quacunque arte, aut matrice atrahente, tunc enim cum consummatum iam fuerit, minime dissoluetur professione. Quod bene aduertit Henriquez lib. 12. de matrimon. cap. 7. in commento penultimo. Quod si reuera femina ita arcta sit, aut vir ita debilis, aut calidus, vt non possit eum femina hac coire, vt semen intra vas emittat, sed foras fundat: in quo casu quando hoc iudicatur per petuum, & immedicabile impedimentum, diximus disputat. 92. num. 7. & sequentibus, matrimonium esse nullum, mihi persuasum (quantis in nullo auctore inuenierim) adhuc esse verè irritum, & proinde non consummari, licet arte aliqua abque viri penetratione sit receptum semen intra vas, aut per matricis attractionem. Quia valor matrimonij non pendere potest ex casu raro, ac fortuito. Deinde, quia verificatur virum illum esse impotentem ad feminandum intra vas. Et aliàs nunquàm hæc impotentia posset dirimere matrimonium: contra Doctores ibi allegatos. Quippe semper potest semen illud saltem vase aliquo vitro receptum, intra vas femineum imitari. Casu autem quo professione non dirimitur hoc matrimonium, dicendum erit de hoc professo idem, quod de constituto in sacris dicemus, num. 39. & 40.

38 Et si coniug. relictus in seculo ad aliud transisset matrimonium, aduertendum maximè est, an matrimonium inierit ante, an post alterius professionem: si enim post professionem, valebit, quantis constat postea impotentia filitras, ac subinde valor prioris matrimonij. Secus si ante professionem: tunc enim hoc posterius matrimonium erit irritum, nisi altero ià professo, perficiatur nouo consensu, cognita eius nullitate. Ratio est clara, quod in priori euentu, primum matrimonium quod verè validum fuit, dissolutum sit profes-

ne, & ita obstat nequit valori secundi matrimonij: at in posteriori, cum dissolutum non fuerit, impediuit valorem secundi matrimonij. Quod optime animaduertit Petrus de Ledesma de matrimon. quaest. 58. art. 2. dubio 1. conclus. 7.

Quando autem vxore manente in seculo vir iam sacris est iniuriatus, fatetur omnes detecto errore sententia, que prius matrimonium dissoluit, virum restitutum esse vxori repetenti. Quia matrimonium non est dissolutum. Sic tradunt Albericus in suo dictionario, littera D. verb. diuortium. Astenfis. 2. part. summa, lib. 8. tit. 29. art. vnico. quaest. 6. Supplementum Pisanæ. verb. diuortium. num. 7. & ibi Rosella. num. 6. Syluest. quaest. 21. num. 24. Henriquez lib. 12. de matrimon. cap. 8. num. 3. Petrus de Ledesma de matrimon. quaest. 58. art. 2. dubio 1. Limitat bene Henriqz, nisi vxor fornicata esset. Quia tunc ratione fornicationis, si vir esset innocens, posset illam repellere. Secundò limitat eodem cap. 8. num. 3. in commento, littera L. nisi impedimentum esset ex maleficio, & transacto triennio, ac alijs diligentis premissis, facta esset matrimonij dissolutio. Tunc enim quantis experientia consuetam maleficium cessasse, non restituetur vir in sacris constitutus vxori repetenti. Sed hæc limitatio non placet: eò quod nullo iure probetur. Sicut nec approbamus num. 22. quod idem Henriquez cum alijs censuit, non posse dissolui aliud matrimonium ab hoc maleficio initum. Quod si vxor non reperat virum, nequibit vir ad ipsam redire. Cum per ordinem sacrum sibi praeiudicari. Ita docent Albericus, Supplementum Pisanæ, Rosella, Syluest. ibidem. Subdit Petrus de Ledesma proximè allegatus, vxorem nolentem repetere hunc virum, sed separatim viuere, teneri vovete castitatem. Sed mihi displicet: nec video eum ad hoc teneatur femina. Quod textus hoc votum petens in vxore cap. coniugatus, de conuers. coniug. Solum hoc petit, vt vir de consensu vxoris legitime ad ordines sacros ascendat: at cum ipse ascendit iam, nullus textus id petit, quantis vxor sua libertate vtens nolit ipsum repetere.

Atq; vir sic restitutus vxori tenetur reddere debitum. Quod illa iure coniugali priuata non sit. Atq; ita fatetur Ricardus 4. dist. 3. art. 3. quaest. 2. ad 3. Astenfis 2. p. summa, lib. 8. tit. 29. art. vnico. quaest. 7.

Rosella,

Rosella, Supplementum Pisanæ, Syluest. num. præcedenti allegati. Sed an possit is vir petere, non eueniunt Doctores. Nam aliqui auctores, quos tacito nomine referunt Ricard. & Astenfis ibidem, sentiunt integrum sibi esse petere: & eorū opinio nem videtur sequi: cum eam in vltimo loco referant. Quia ille ex falsa vinculi con-

iugalis existimatione solutionis, ad ordines ascendit, vtoq; se atrinxit. At tendendum est, non posse petere. Quia is error fuit circa causam impulsuam, & ita non vitiat. (vt latius probabo lib. 10. disputat. 9. num. 23.) Atque ita docent Supplementum Pisanæ, Rosella, Syluester num. præcedenti allegati.

## DISPUT. CENTESIMA.

An si sententia dissolvens prius matrimonium, bis confirmata sit: aut ab ealegitimo tempore non sit appellatum, retractanda sit comperito errore: & quo remedio: ac coram quo iudice, & ita sententia in causa matrimonij non transeat in rem iudicatam?

### SVMMARIVM.

**S**ententia matrimonij, siue bis confirmata, si lapsa termino ad appellandum, nunquam transit in rem iudicatam, sed cõperito errore retractatur: & de huius ratione discutitur. num. 1.

In sententia matrimonij, & alijs, qua non transeunt in rem iudicatam, potest transacto appellandi termino, probari iniustitia cause, tam ex meritis eius, quam ex ordine processus. num. 2.

Index ex officio potest parte inuita retractare dictam sententiam. num. 3.

An possit retractari per appellationem, an per solam querelam? num. 4.

An possit audiri impugnans hanc sententiam, abique cause cognitione, & citari debeat pars, & si index non premitat causa cognitionem, possit appellari: & in dubio an causa sit iusta, possit audiri? num. 5.

Quoties audiendus sit volens prædictam sententiam impugnare? num. 6.

An presumptio pro sententia illa à qua appellatum non est, existat: & alleganti iniustitiã, incumbat onus probandi? num. 7.

An quoad instantiam causa transeat sententia in causa consagali in rem iudicatam: ita, vt nouo libello, nouaq; querela vtendum sit? num. 8.

An hæc noua querela possit coram vrbiepisopo, inter subditos Episcopi suffraganei proponi: & coram quo iudice proponenda sit? num. 9.

An possit coram Archiepiscopo de retractione huius sententia agi, si eius nullitas, seu principaliter, seu incidenter proponatur? num. 10.

An sententia hæc transeat in rem iudicatam,

quoad expensas, quarum condemnatus est succumbens in priori sententia? num. 11.

An transeat in rem iudicatam respectu tertij opponentis contra valorẽ matrimonij? num. 12.

An transeat in rem iudicatam in sponsalibus: & in matrimonio quod nouo consensu contrahi legitime potest? num. 13.

An quando sententia lata est in matrimonij fauorem, transeat in rem iudicatam? num. 14.

An transeat, quando coniuç allegauit portetia deficiã in genere, & succubuit? num. 15.

An sententia diuortij transeat in rem iudicatam? Remissioe. num. 16.

**P**remittendum est, id in matrimonio speciale esse, vt sententia in coniugali causa lata, quacumq; circumspessione premissa, siue bis ab ea prouocatum fuerit, confirmataq; sit, siue lapsus terminus ad appellandum sit, nunquam transeat in rem iudicatam, ac proinde non ita efficacem autoritatem sortitur, quin retractanda sit, quoties comperitum fuerit, eam errore quodam latam fuisse. Constat ex cap. lator, de sentent. & iudic. ibi: Mandamus quatenus si vobis consiteris eos per iudicium Ecclesie non fuisse legitime separatos, Ecclesiamq; acceptam, ipsos faciatis sicut verum, & vxorem in sinu permanere. Idem decernitur cap. cõsanguinei, & cap. tenor, eodem tit. & cap. fraternitatis, de frigid. & malef. Et ita docent Anton. eo. cap. fraternitatis, num. 32. & ibi Abbas num. 21. Præpos. nu. 19. Alexan. de Neuo ibi. §. quantis, nu. 26. Idem Anton. dist. c. lator, nu. 8. & ibi Alexan. de Neuo nu. 11. Decius nu. 5. declaratione 4. Inola nu. 7.

versic.